

celebrare missam nullo modo praesumat. Ista autem officia absque ulla excusa- (fol. 131) tione per ecclesias cotidie impleantur — missa<sup>a</sup>, si fieri potest, cotidie caelebretur —: nocturnale officium matutini, prima, tertia, sexta, nona, vespere, completorium, in quibus officiis tractim et distincte psalmi decantentur. Scriptum quippe est: *'Maledictus<sup>1</sup> omnis, qui facit opus Domini neglegenter'*.

Cap. VI. Vestimenta ecclesiastica cum summa diligentia debent sacerdotes praeparare et nitida conservare; id est unusquisque casublam<sup>b</sup> I, duas albas nitidas, duos amictus<sup>c</sup> nitidos, duas stolas nitidas, duo cingula, duos fanones, duos etiam linteos altaris semper nitidos, et nullo modo praesumat sacerdos illam albam in exteriores usus induere, cum qua missam debet cantare. Et ut vestimenta ecclesiastica in tabernis non deponant.

Cap. VII. Libros istos unusquisque presbiter debet habere: id est missalem bene correctum<sup>d</sup>, lectionarium similiter, antiphonarium, psalterium, martyrologium<sup>e</sup>, collectarium vel, si potest, quadraginta homelias Gregorii. Si quis autem Genesim vel ceteras divinas historias habere potuerit, ut habeat, exortamur.

Cap. VIII. Ut in domibus presbiterorum mulieres frequentiam minime habeant. Quodsi mater vel soror vel amita vel neptis ad prandium fuerit evocata, nullo modo in mansione presbiteri nocte re- (fol. 131') maneant, sed, si vicinae sunt domus illarum, luce adhuc diei revertantur; si autem longe sunt, aliam mansionem in ipsa villa ingradientur, ut non detur occasio diabolo. Ipsi quoque presbiteri nullo modo in alienis domibus pernoctent, sed et ipsi, ad prandium si fuerint evocati, ante noctem ad ecclesiam propriam revertantur.

Cap. VIII. Ut in prandiis, quae pro mortuis hominibus eis preparantur, non presumant cantare vel ludere aut precarias<sup>f</sup> bibendi exercere, sed cum sobrietate comedant et bibant<sup>g</sup> et sic ad propria revertantur.

Cap. X. Ut omnibus parrochianis suis per omnem diem dominicum eulogias benedicti panis distribuunt.

Cap. XI. Ut in sacrificio dominici calicis<sup>h</sup> vinum cum aqua misceant.

---

a) missa si] missas c.    b) casubla c.    c) amictos c.    d) correctum c.    e) martyrologium c.    f) precarias] unten c. 17 begegnen 'praecationes'.    g) bibent c.    h) calcis c.

1) Jerem. 48, 10.